

Dē iuvene captō ā pirātīs, quem pater nōluit redimere

Zēnōn rēgnāvit, in cūius imperiō erat quīdam iuuenis captus ā pīrātīs. Scripsit patrī suō prō redēptiōne. Pater nōluit eum redimere, itaque iuuenis multō tempore erat mācerātus in carcere. Ille, quī eum in vinculis tenuit, quandam filiam habēbat pulchram ac oculīs hominum grātiōsam, quae saepius incarcerātum vīsītāre solēbat et cōnsōlārī; sed ille tam dēsōlātus cōnsōlātiōnem nōn recēpit, sed suspīria et gemitus cottīdiē ēmittēbat.

Accidit quōdam diē, quod, cum puella eam vīsītāret, ait eī iuuenis: "Ō bona puella, utinam vellēs prō meā liberātiōne labōrāre!"

Quae ait: "Quōmodo hoc poterō attemptāre? Pater tuus, quī tē genuit, nōn vult tē redimere; ego vērō, cum sim tibi extrānea, quōmodo dēbeō hoc perpetrāre? Et sī tē liberārem, offēnsam patris meī incurrerem, et per hanc tuam redēptiōnem pater meus perderet. Vērumtamen concēde mihi ūnum, et tē liberābō!"

At ille: "Ō bona puella, pete ā mē, quod tibi placuerit! Sī mihi est possibile, ego concēdam."

At illa: "Nihil aliud petō prō tuā liberātiōne, nisi quod mē in uxōrem dūcās opportūnō tempore, et ab istō carcere tē liberābō inmediātē."

Quī ait: "Hoc tibi firmiter prōmittō." Statim puella, patre ignōrante, ipsum ā vinculis liberāvit et cum eō ad patriam fūgit.

Cum vērō ad patrem suum vēnisset, ait eī pater: "Ō filī, dē tuō adventū gaudeō; sed dīc mihi, quālis est ista puella, quam tēcum dūxistī?"

At ille: "Fīlia rēgis est, quam in uxōrem habēbō."

Ait pater: "Sub poenā āmissiōnis hērēditātis meae nōlō, quod eam in uxōrem dūcās."

At ille: "Ō pater, quid dīcis? Plūs eī teneor, quam tibi. Quandō eram captus in manūs inimīcī et fortiter advinculātus, tibi scrīpsī prō meā redēptiōne. Nōluistī mē redimere. Ipsa vērō nōn tantum ā carcere, sed ā perīculō mortis liberāvit mē. Ideō eam in uxōrem dūcere volō."

Ait pater: "Probō tibi, quod nōn possīs in eam cōnfidere et per cōsequēns in uxōrem nōn habēre. Patrem proprium dēcēpit, quandō ipsō ignōrante tē ā carcere liberāvit, prō quā liberātiōne pater ēius multa perdidit, quia tōtam tuam redēptiōnem. Ergō vidētur, quod tū nōn poteris in eā cōnfidere et ideō nūllō modō ā in uxōrem sūmere. Item alia ratiō est ista. Licet tē liberāvit, hoc fuit causa libīdinis, ut posset tē in virum habēre. Et ideō, quia ēius libīdō erat causa liberātiōnis tuae, nōn mihi vidētur, quod uxor tua est."

Puella audiēns istās ratiōnēs ait: "Ad prīmam ratiōnem respondeō: Quandō dīcis, quod ego dēcēpī patrem proprium, dīcō, quod nōn est vērū. Ille dēcipitur, quī in aliquō bonō dīminuitur. Sed pater tam meus tam locuplēs est, quod alicūius auxiliō nōn indiget. Cum hoc perpendī, iuvenem istum ā carcere liberāvī. Et sī pater meus redēptiōnem prō eō accēpisset, nōn māius dīves esset, quia plūs habet, quam expendere potest, eō quod in omnibus abundat, et tū per redēptiōnem dēpauperātus essēs. Ergō tē salvāvī, quod redēptiōnem nōn dedistī, et patrī meō nūllam iniūriam fēcī.

"Ad aliam ratiōnem, quandō dīcis, quod ego ex libīdine hoc fēcī, respondeō: 'Hoc nūllō modō potest fierī, quia libīdō venit ex causā pulchritūdinis aut propter dīvitiās aut propter fortitūdinem. Sed fīlius tuus nūllam istārum habuit, quia pulchritūdō ēius per carcerem erat annihilāta; nec dīves fuit, quia nōn habuit, unde sē ipsum redimeret, nec fortis, quia fortitūdinem perdidit per carceris mācerātiōnem. Ergō sōla pietās mē movēbat, quod ipsum liberāvī.'

Pater haec audiēns nōn poterat ulterius contrā filium arguere. Filius vērō cum magnā sōlemnitate eam in uxōrem dūxit et sic in pāce vītā finīvit.